Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

115

temptaciones concupiscentie carnalis que me ad huc pul
sant ingemiscentem. et habitaculum meum quod de celo est
super indui cupientem. Pulchras formas. et varias niti
dos. et amenos colores. amant oculi. Non teneant hec
animam meam teneat eam deus qui fecit hec bona quidem ual
de. sed ipse est bonum meum. non hec. Et tangunt me uigi
lantem totis diebus nec requies ab eis datur mihi. sicut datur a vocibus
canoris aliquando ab omnibus in silentio. Ipsa enim regina
colorum lux ista perfundens cuncta que cernimus. ubi
ubi per diem fuero. multimodo alapsu blanditur mihi aliud a
genti et iam non aduertenti. insinuat autem se ita uehementer.
ut si repente subtrahatur. cum desiderio requiratur. et si diu
absit contristat animum. O lux quam uidebat tobis. cum
clausis istis oculis filium docebat uite uiam. et ei preibat
pede caritatis. nusquam errans. aut quam uidebat iacob.
cum et ipse pregrandi etate captus oculis in filiis presigna
ta futuri populi genera luminoso corde radiauit.
et nepotibus suis ex ioseph diuexas mistice manus.
non sicut pater eorum foris corrigebat. sed sicut ipse intus discer
nebat imposuit. ipsa est lux. Vna est et unum omnes qui
uident et amant eam. At ista corporalis de qua lo
quebar illecebrosa ac periculosa dulcedine ascon
dit uitam seculi cecis amatoribus. Qui autem et de ipsa lau
dare te norunt deus creator omnium. assumunt eam
in ymno non adsumuntur ab ea in somno suo. sic
esse cupio. resisto seductionibus oculorum. ne impli
centur pedes mei. quibus ingredior uiam tuam. et erigo
ad te inuisibiles oculos. ut tu euellas de laqueo
pedes meos. tu sub inde euellis eos. Nam cum inla